

bitur! Eccles. XXIII. Sed nec minus verum illud quod subditur: *Ubi non speravit apprehenditur.* Contigit enim Romæ Tito imperante, ut elephas nutritii sui uxorem cum adultero deprehenderet, ambos igitur dentibus suis præacutis confixit, et ita occisos stragula veste contextit; postmodum vero adveniente nutritio rejecta ab iis stragula adulteros lecto jacentes monstravit, refert P. Anton. de Balinghen, in zoopæd. En hi ubi non sperarunt apprehensi sunt. Num enim perditii isti ab elephante sibi timebant? Num cavebant? Cavebant sibi quidem ab hominibus, et potissimum domesticis; at interim a bruto, quod quid peccatum sit, nescit, peccati mercedem acceperunt. Dicunt isti (quemadmodum loco cit. Ecclesiasticus scribit): « Quis me videt: tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me, quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, etc. » Videte hic, quam vigilet Deus, qui ad puniendam tanta scelera etiam brutis utitur, et fortasse ideo, quod homines in puniendis illis segniores, animadvertit. Quid enim adulterio magis obvium? Et quid eo gravius, quod Deo hominibusque in primis est exosum, quod reip. inimicissimum, quod privatorum paci et domesticæ quieti contrarium, quod filiorum certitudini adversum, quod variorum furtorum origo est, dum paternæ atque avitæ hæreditates ad spurios transferuntur? Et quid interim hoc scelere impunius? Pudor et res indigna est, ethnicos principes vehementius in hoc et similia crimina exarsisse, quam christianos iudices. Alexander M. Damonem et Timotheum, quod externorum militum uxoribus stuprum intulissent, morte plecti iussit, Plut. in ejus vita: Ægyptii adulteros virgis cædebant ad mille plagas, adulteras naso truncabant ad perenne dedecus, Diodor. l. I. c. VI. Arabes et Parthi adulteria morte plexere, Alex. ab Alexand. l. IV. cap. I. Cumani adulteram in foro omnibus ridendam exponebant, et asino impositam per urbem circumducebant, Plut. in problem. Aurelianus imp. adulteram duabus arboribus alligatam divelli iussit, Cælius Rhodig. l. X. Saxones adhuc pagani cogebant adulteram suspendio se necare, tum eam concremabant et super ejus bustum adulterum suspendebant. Aliquando adulteras feminæ reliquæ per pagos circumductas flagellis et virgis cædebant et cultellis lancinabant, testis S. Bonifacius, in ep. XIX. ad Ethilaldum Merciorum regem: Brasilienses adulteras vel occidunt, vel ut servas vendunt, Osor. II. de gestis Emmanuelis: Mahomet adulterium fustigari centum ictibus sanxit.

Ex quibus colligere potest unusquisque quid apud Christianos mereantur adulteri, et his graviore fornicarii, quando hæc tulere supplicia apud infideles.

Verum ego, auditores, nolo ad carnifices et carnificinas ablegare mœchos, et his similes leprosos alios: sed potius ad sacerdotes: *Ite, et ostendite vos sacerdotibus*: expiate peccata vestra cum vera pœnitentia coram confessario, et deinceps nolite peccare. Salutem vestram quæro, non sanguinem: levate vocem cum leprosis: *Jesu præceptor, miserere nostri*: sanati porro redite ad Dominum Deum vestrum, gratias agentes, etc.

CONCIO VIII.

INCENTIVA ET REMEDIA LUXURIE.

I. Incentivum, turpes cogitationes. Remedium: 1. Dei præsentia. 2. Passio Christi. 3. Meditatio mortis. 4. Judicii metus. 5. Oratio. — II. Sensuum evagatio. Remedium: 1. Oculi custodiendi. 2. Aures obserandæ. 3. Tactus servandus. — III. Impura feminarum societas. Remedium, fuga. — IV. Gula. Remedium, abstinentia. — V. Otium. Remedium, occupatio bona continua.

THEMA.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. XVII.

Fœdus quidem et abominabilis morbus est lepra corporalis, quia infectos Deus ipse, Lev. XIII. jussit separari ab hominibus cæteris, et vitari. Sed sine comparatione fœdior atque abominabilior est lepra spiritualis, quæ est vitium luxuriæ, carnem simul et mentem inficiens, adeo ut apostolus eam non modo fugiendam (I. Cor. VI. *Fugite fornicationem.*) sed nec in nobis nominandam esse velit, Eph. V. *Fornicatio et omnis immunditia nec nominetur in vobis.* Quare sicut leprosi nulli parcerent labori vel sumptui, si qua via ab infectione liberari possent; ita multo magis decet, nullum non movere lapidem, quo a luxuriæ lepra præservemur, et si qui ea infecti sunt, liberentur. Et certe hodierni leprosi occurrerunt, adeoque currendo venerunt ad Christum medicum: quamquam ego existimo, magis occurrisse illis medicum longe majori desiderio ad sanandos ipsos, siquidem is de cælo venit querere et salvum facere quod perierat. Felix ergo hic occursum, ubi medicus et æger, seu *dives et pauper*, ut loquitur Sapiens, Prov. XXII. sibi occurrerunt. Hoc enim occursum Dominus admonuit concionatores et animarum pastores, ut simili desiderio vitii occurrant, salutaria præscribendo remedia, quibus illi

sanentur. Monuerunt decem leprosi immundos secundum animam, ut et ipsi occurrant medicis animarum. Ego igitur ad exemplum Christi faxo, ut occurram peccatores. Solent hoc tempore salutares herbæ colligi ad varia medicamenta, conquiramus etiam nos ejusmodi, sed spirituales herbas, contra pessimam illam libidinis contagionem.

Unicum et optimum remedium hujus vitii præscribit Paulus, I. Cor. VI. cum ait: *Fugite fornicationem.* Quam sententiam cœlestis vox ad S. Arsenium delata: *Fuge* scilicet, confirmavit. Ut vero hanc lepram effugiamus, fugere oportet ejus incentiva, quæ sunt quinque maxime.

I. Incentivum sunt turpes cogitationes quæ si deliberate iis inhæris, cum ordinentur ad ipsum opus turpe tamquam media conditionem finis induunt. Ludit diabolus cum homine, sicut Dalila cum Samsone, facit eum dormire super genua sua, id est, delectatione quadam sopire super turpi facto vel imagine, et interim ligat capillos ejus, detinendo eum in cogitatione mala, quam tamen potest homo cum Samsone abrumpere, si resistat et displicentiam habeat. Hoc vero si non faciat, impellitur in peccatum et potestatem dæmonis. Sic Eva dum se detinet in contemplatione ligni vetiti, dum sermocinatur cum serpente, ab eo illaqueatur: sic Philomena, dum curiositate ducta lustrat scrobem et decipulam sibi ab aucupe structa, speculumque in ea positum contemplatur, capitur.

Jam vero quibus modis obviare possumus turpi cogitationi. Resp. primo, cogita Deum ubique præsentem et omnia cernentem, dicque cum Davide: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris mihi, ne commovear*, Psal. XV. « Homine præsentem, inquit Chrysost., in c. IV. epist. I. ad Cor. nemo scortaretur, sed licet majorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violentia pudore hominum vinceretur. Cum autem Deus videat adulterant. Nonne vel hoc solum satis esset, quo cœlitus innumeris peteremur fulminibus? » Hæc ille.

Secundo, recordare passionis Domini, quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, et dic juxta consilium Hugonis de S. Victore: *Ita redemptor moritur pro te, et tu nescis, cujusmodi sordida cogitatione sordidaris in mente?*

Tertio, cogita mortem, corporis quoque tæto-rem et internam turpitudinem. Quid enim illud? Saccus stercoreum. Aufer cuticulæ pelliculam, quid illa tetrius aut horribilius? Quid cadaveri propius? Sterquilinum nive contactum albet, solvantur nives: Pax, pax naribus et oculis, clamabunt omnes et diffugient. Nive fugacior

est forma: non liquatur, sed vanescit, illam aqua excipit, hanc quid nisi deformitas et formido? Cum anima diffugerit, quid futura hæc sive Lais, sive Helena? Esca vermium, cadaver putridum, fœtens, tabe dissolvendum, ex cujus spinæ medulla serpens terribilis enascetur. Hoc amem? Hoc depeream? Narrat Suidas de Hypatia Alexandrina, eam cum consilio nequiret auditoris adamantis importunam sollicitationem abrumpere, panniculos ei suos, fluore menstruo maculatos objecisse: *Hoc*, inquit, *est adolescens, quod amas, nihil autem pulchrum.* Appa et Gela Foro-Julienensis ducis Gifulfi filiæ carnis putridæ sub mammillis positæ odore, suam defendere castitatem. Barbari enim natura, ita fœtere feminas Longobardorum opinati, intactas relinquere, annal. Boior. l. III. et Bonfin. l. VIII. rer. Hungar. dec. I. Sed et Thom. Cantipratensis pium quemdam virum, cum cogitationes importunas cujusdam mulierculæ formosæ dum viveret, animo abigere non posset, sepulcrum narrat ejus aperuisse, et amplexum cadaver tabidum faciem faciei ejus contaminatæ tabe vermibusque imposuisse, et in hoc fœtore volutum esse, donec fœtor et horror omnem libidinis memoriam superasset.

Quarto, cogita judicium Dei et quod Eccl. XI. dicitur: *Si annis multis vixerit homo, et in omnibus his lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui cum venerint, arguentur vanitatis præteritæ*: et mox cum per ironiam dixisset Spiritus s. *Lætare ergo juvenis in adolescentia tua, etc.* concludit serio, et ait: *Scito, quod pro his omnibus adducet te Deus in judicium.* Cum ad mortem duceretur castissima Susanna, liberavit eam Daniel; Susanna liliū, Danieli judicium Dei exponitur. Quando ergo castitas tua in cogitationum procella periclitatur, et ad mortem a tentatione trahitur, Danielis opem adhibe, judicium Dei cogita, et revolve animo, quod August. in tract. de honest. mulier. c. III. ait: *Cito præterit, quod delectat, et permanet sine fine, quod cruciat.*

Quinto, denique ora, et cum Moyse perpetuo leva ad Deum manus, et vincet tuus Josue. Sic fecit aliquando Salomon: *Ut scivi, quod aliter non possem esse continens nisi Deus det, adi Dominum, et deprecatus sum illum*, Sap. VIII. Utinam id semper, in omni vita fecisset. Sic apost. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, propter quod ter Dominum rogavi*, II. Cor. XII. et August. *Continentiam jubes. Da quod jubes, et jube, quod vis*, l. X. confess. c. XXIX. Quo autem facilius impetrare valeas, patrocinium interpone unius vel plurium sanctorum, qui in statu simili vitam castissime traduxerunt. Si virgo es, implora opem Deiparæ

Virginis, quæ, cum amantissima sit castitatis, libentissime dabit operam, ut ab omni spurcitie libereris: si vidua, B. Annam prophetissam: si conjugatus, SS. Zachariam et Elisabetham, etc. Sic S. Thomas Aquinas cum a procaci scorto infestaretur, precabatur: *Ne sinas, quæso, Domine Jesu, et tu sanctissima Mater et Virgo Maria, ut tam immani scelere me obstringam.* Mox raptò ex igne titione id fugavit, ostioque concluso a duobus angelis lumbos sibi constringi sensit in perpetuæ continentiæ signum.

Eadem fere ratio est turpium verborum; qui enim de cogitatione turpi prosilit in verba turpia, jam audacior fit et pronior ad opus ipsum peragendum: *Ex turpiter enim loquendi licentia, sequitur et turpiter facere,* inquit Arist. l. VII. polit. c. ult. Qui turpia loqui audet, jam incipit exuere pudorem: sicut cum quis iterum iterumque pedem fert in specum, tandem audet omnino ingredi.

II. Sensuum evagatio: de quibus S. Hieron. l. II. adv. Jovinian. c. VII. ait: *Per quinque sensus quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam introitus est. Non potest ante metropolis et arx mentis rari, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus.* Hæc ille et recte, quia sicut per portas intratur, et exitur, inferuntur omnis generis merces vel efferuntur: ita per illos, mille rerum species ad mentem penetrant. Imitandi proinde præfecti urbium, qui portis adhibent præsidarios, ut non admittant quemlibet: antemurale erigunt, pensiles pontes attollunt, crates ligneas demittunt, cancellis portas sepiunt: sic operæ pretium foret sensus custodire: oculos imprimis, qui non modo aperti semper et patuli sunt, sed præterea etiam vagabundi circumferuntur, et velut navicula inter mundi fluctus circumfluunt et jactantur. Pactum igitur cum oculis facere, quale S. Job fecit, c. XXXI. oporteret, ut ne cogitarent de re illicita, nedum adnavigarent; pactum, inquam, quale navis fecit cum nauta, ut habet proverbium Italicum: *Guardami dalla terra ed io ti guardero dal mare:* serva me a terra, et ego te servabo a mari. Jactantur oculi hinc inde sicut naviculæ: vide, ne tu eos ad scopulos dirigas, et ipsi te non mergent; incognita enim amare non possumus. Ut ergo prudens navarchus a longe speculatur syrtes et scopulos, ideoque mature navem inde abducit, ne ventorum vi et maris impetu ad illos abripiatur: sic quam primum avertendi oculi ab aspectu periculoso. « Quisquis enim, inquit S. Greg. l. XXI. mor. c. II. per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens rapitur, atque obligatus desideriis

incipit velle, quod noluit. Præceps quippe anima, dum ante non providet, ne incaute videat, quod concupiscat, cæca post incipit desiderare, quod vidit. » Hæc Greg. qui ibidem monet, ut sint oculi nostri: « Sicut columbæ ad fenestras suas, » id est, ut per sensus corporis, exteriora quæque non respiciant, intentione rapacitatis, instar milvorum et accipitrum. Laudatur ob id Alexander M. qui ad filias Darii, quas captivas tenebat, eximia pulchritudine virgines visendas invitatus, recusavit, quod diceret, se qui viros vicisset, nolle vinci a mulieribus, Q. Curt. l. IV. Sed longe cautiore s. anachoretæ, qui quandoque per omnem vitam interdicentes sibi aspectu feminarum, ostenderunt plane, quid facere in simili possemus. Cum audisset Joannes abbas a tribuno plebis: *Permota uxor mea rumore sanctitatis tuæ, videre te percipit: rogo, ut te ei videndum præbeas,* postulavit inducias, quibus impetratis Deum rogavit: *Domine Deus, si fieri potest, ostende ei in somnis speciem meam, qua plene satiatur ejus curiositas, meque alias non videat.* Dictum, factum: satiata est illius imagine, nec ultra ursit, vel appetiit videre eum. Pior item monachus sorori jam decrepitæ ipsum videre cupienti, ex mandato abbatis, satisfacere volens venit ex eremo ad fores sororis, claudens oculos, et dicens: *Ece me soror mea, fruiere aspectu meo, ut lubet, et sine me redire ad patriam meam.* Dixit et mox cellam repetiit.

Secundo, aures obserandæ, juxta monitum Eceles. c. XVIII. *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire.* Spinæ sunt meditatio damnorum, quæ ex auditu proveniunt, mortis, judicii, etc. Quis autem inter linguas nequam, non reponat impudicas? Equidem turpiloquus jaculo te linguæ vult perimere, et sua peste inficere. Quis admittat in civitatem hostem omnia vastaturum? Misit Antiochus Jerosolymam duce[m] verbis pacificis, qui tamen urbem ingressus omnia prædatus est, et fœdavit non sine multa strage, fecitque sibi arcem fortissimam in ipso monte Sion, ex quo omnem regionem diripiebat. Idem prorsus in homine facit obscœna vox ubi eum occupavit et placuit. Cautior aspis, quæ obturat aurem suam cauda, ne audiat vocem incantatoris, Ps. LVI. Sic et poetæ fingunt Ulyssem cum ad Sirenarum habitacula suaviter modulantium adnavigasset, obturasse aures suas cera, socios vero alligasse ad malum ne vocum illecebra consopiti vel emolliti minus attenderent ad navigationem periculosissimam. Hoc enim figmento indicarunt, rem periculo plenam esse admittere verba turpia. Contine ergo te domi, loquere cum paucissimis et gravibus, vita Veneris nun-

dinas, uti chœreas et tabernas, cantilenas amatorias non aliter aversare, quam diaboli tibiam, qua ipse prurientem carnem ad saltandum invitat; cuius: *Hæc illis, ut inquit Job, prunas ardere facit.*

Quod si præter mentem et expectationem, turpia cogis audire, nec aures corporis ocludere potes, oclude saltem aures cordis et obfirma animum, velut si fores clauderes homini leproso aut infami. Esto quasi anser aquis innatans, cuius pennæ ob pinguedinis abundantiam, madorem non contrahunt, sicæ semper emergunt, cogita te ad præclariora natum, quam ut sordibus aures præbeas velut viam publicam.

Denique, si quid fœditatis per aures tuas in cor ingestum est, repurga aures, et sordes rursum ejice, dicitoque: *Foris canes et impudici.* In cuius rei significationem, veteres, si quid obscœni forte audissent, aures suas aqua fluente limpida eluere solitos, scribit Rufinus, l. III. c. VI.

Tertio, tactus velut omnium maxime periculosus et casui proximus, maximopere vitandus. Cæteri sensus ligna comportant, tactus igni admoveat et accendit. Quod probe scivit Deus, qui primis nostris parentibus non modo interdixit esu ligni vetiti, sed etiam ne tangerent illud, si Evæ testimonio credimus, Gen. III. *Numquid enim potest homo abscondere ignem in sinu,* inquit Sapiens, Prov. VI. *ut vestimenta illius non ardeant aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad uxorem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.* Manus alioqui robustissimæ, fœdo sæpe contactu enervatæ et ligatæ fuere. E contra Godefridus Bullionius rex Hierosolymorum primus, rogatus unde ei tantum robur esset in manibus, ut hostes etiam armatos posset gladio a vertice ad ventrem usque dissecare, dextram protulit et dixit: *Hucusque manus ista ab omni contactu libidinoso sese continuit.* Refert Chavass. de prud. lib. III. c. IV. § IX. Potuit Joseph viribus suis se defendere a domina, sed fugit potius relicta in manu ejus veste, non restitit, ne contactu ejus illiceretur inficereturque, qui, ut inquit S. Hieron. lib. I. contra Jovinian. *Viro non minus est fugiendus, quam rabidissimi canis morsus.* Socrates apud Xenophontem, l. I. memorabilem, mirum quid narrat de phalangis. *Hæc animalcula sunt ne semiobolaris quidem magnitudinis; si tamen ea hominibus os admovere accidat, incredibili eos dolore afficiunt, e mentis statu deturbant atque emori faciunt, ut l. II. c. XVII. notat Alexander ab Alexandro.* Cui rei aptius quæso comparari poterit tactus impudicus? Nonne hominem acutissimo Veneris jaculo sauciat, atque e potestate

mentis dejicit atque lethali peccato enecat? Ergo mulieres ut phalangia; earum tactus uti morsus phalangiorum cavendi et execrandi sunt.

III. Impura feminarum societas. Quam fugendam imprimis docuit Ecclesiasticus, c. XIII. dicens: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Docuit deinde exemplo suo Antiochus Asiæ rex hujus nominis. Tertius cum esset Ephesi et se amore captum cerneret speciosissimæ feminæ, qua potiri sine ingenti dedecore non poterat, inde discessit, ne alias tandem, quod nefas erat, perpetraret. Pelicanus avis cum in alto habitare posset, terram eligit, ovaque terra condit. Quod advertens auceps circa locum illum accendit ignem, quem advolans pelicanus dum alis suis extinguere conatur, magis excitat et ita perustis pennis suis nullo negotio capitur, Pier. teste, l. XX. hierogl. Ita contigit iis, qui cum versari inter castos possent, malunt inter pravos socios et cum mulierculis, nimium præfidentes viribus suis. Adest mox diabolus auceps et inter tales excitat fœdi amoris ignes, quos dum extinguere resistendo conaberis, magis inflammabere et tandem capiere. Non ergo cominus congrediendo, sed fugiendo oportet tentationes carnis vincere. Neque turpis est hæc fuga, sed potius laudabilis. Quis enim non fugeret locum peste infectum? Domum ardentem? Antigonus secundus cum aliquando cederet hostibus imminentibus aiebat: *Se non fugere sed utilitatem a tergo sitam persequi.* Nullus autem potentior hostis quam caro, ubi, rara est victoria, teste S. August. Dux bellii quando novit habere se in exercitu suo multos proditores, qui commisso prelio partem hostilem adjuverant, tunc eminus solet pugnare cum hostibus. Atqui homo habet in se et sub se membra carni addicta, eique faventia, ne igitur cum iis pugnaveris cominus, qui carnis vitii militat.

IV. Gula: ex nimia enim satietate, vires et incrementum sumit libido, et speciatim: *In vino esse luxuriam,* ait apostolus, Eph. V. Hæc enim sunt quasi ligna, sarmenta et oleum ad inflammandum ignem, quem ebrius comportat ad domum propriam incendendam, seipsum inquam, quemadmodum et phœnix facere narratur. Nonne Exod. XXXII. *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere?* Ludum autem illum, juxta Scripturæ verecundiam, non nisi impudicum denotare vult Tertull. in lib. de jejunio. Confirmant et rabbini qui ludere exponunt fornicari. Gula itaque similis mihi videtur pomo illi aureo, quo Fenella Remethum regem Scotorum occidit, ita fabrefacto, ut qui id tetigisset, statim multis telis e pomo prosilientibus transfigeretur, uti narrat Cardanus, l. XI. de rer. var. c. LVI. Sic enim: « Ex uno

gulæ vitio, inquit S. Gregorius, in II. Reg. I. V. c. I. innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producantur. Unum quidem gulæ vitium est, sed aculei libidinis innumeri sunt, qui læta quidem suggerunt, sed ad æterni fletus lamenta perducunt. » Hujusmodi pomum fuit, quod Eva porrexit Adamo; victus enim gula, ubi gustavit pomum, mox inde in eum prosilierunt mille calamitatum tela, atque inter ea etiam carnis rebellio, quam compescere eum non possent, foliis ficuum texerunt. Ergo abstinentia colenda: *Sine Cerere enim et Baccho friget Venus* (cujus armigerum esse Bacchum finxere poetæ:) non aliter ac remotis lignis extinguitur ignis. Unde Greg. I. V. in I. Reg. c. XIV. ait: *Si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cum cibos subtrahis et vinum præsertim in quo, ut est apud apostolum, Eph. V. luxuria est.* Hoc remedio usus S. Hilarion, qui, ut scribit in ejus vita S. Hieron. urgente turpi cogitatione, iratus sibi et pectus pugnis verberans quasi cogitationes cædens manu posset excludere: « Ego inquit, aselle faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis. Fame te conficiam et siti, gravi onerabo pondere; per æstus indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites. » Amethystus, ut dicitur in lapidario, c. XVI. est lapis contrarius ebrietati, ideoque sobrietatis typus: hic præservare dicitur equum a cespitatione. Caro est *equus fallax ad salutem*, Ps. XXXII. adeoque crebro cespitans, necnon lapsum proluens. Vis ergo ut non cespitet, adeoque cadet equus tuus? Sobrietatem ama, et velut amethystum tecum semper gerito.

V. Otium, ut enim avis, quæ otiosa in ramo desidet facile jaculo configitur, secus, quando volat et hinc inde saltat; sic: *Otia si tollas periere cupidinis arcus, cedit amor rebus, res age, tutus eris*, ait Ovidius, de remed. amor. Otiosum et in regno suo quietum quando invenit Davidem tentatio carnis dejecit: quod non potuit, cum variis laboribus et periculis exercebatur David. Quemadmodum in terra inculta nascuntur vepres et in aqua stagnante ac paludosa vermes: ita in anima otiosa pravæ cogitationes desideria. Quod expertus David: *Accidit enim ut surgeret de strato suo post meridiem et deambularet in solarario domus regis: viditque mulierem se lavantem ex ad-*

verso, etc. mox igitur captus est ejus amore rex. II. Reg. XI. Vide quid gignat otium.

Salubre nobis consilium præbet S. Hieronymus in ep. ad Rusticum: *Aliquid boni operis facito*, inquit, *ut te diabolus inveniat occupatum.* Ubi etiam narrat monachum quemdam otio deditum cœpisse pulsari gravissimis luxuriæ aculeis. Quod ubi rescivit abbas, submitit quosdam qui eum apud se reum agerent diversorum criminum, otiumque ejus converterent in negotiosissimam curam ac necessitatem probandi se innocentem. Quam probationem cum toto corrente anno admitti non cerneret, indeque vehementer angere-tur, ab abbate obiter interrogatus, utrum solitos adhuc carnis impetus sustineret, exclamans respondit: *Papæ! Vivere non licet, et fornicari libeat?* Sanctus etiam Gregorius, in II. Reg. I. VI. cap. I. ait: « Inter opera et labores spirituales contra stimulos carnis fortes sumus, sed si quasi fessi a solitæ conversionis rigore torpescimus vel remittimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt, qui quasi depositis Moysi manibus Israellem vincunt. » Redditque hujus rei causam dicens: « Cum duas simul res cogitare non possumus, fit ut aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda. Celer ergo et facilis victoria libidinis est circumscriptio cogitationis, si quoties carnalia obviant, ad aliquid aliud recurramus, quod libidinis non sit incitamentum. » Hæc ille. Unde ss. viri ut in hac tentatione sensum et cogitationem alio verterent, mira excogitarunt, et plerique seipsos doloribus vexarunt, ut S. Benedictus volutando se nudum in spinarum aculeis: S. Franciscus in nive. Juvenis quidam apud S. Hieron. in vita S. Pauli, cum in molli lecto alligatus a meretrice lacesseretur ad peccandum, ne lascivia vinceretur, mordicus sibi abscissam linguam in faciem meretricis expuit. S. Bernardus abbas in lacum: Evagrius presbyter in puteum hibernis noctibus descendere solebat. Dura quidem et difficilia sunt ista: sed malo modo malus debetur cuneus, fædo libidinis morbo, quid mirum si ingratum paretur pharmacum? Quisquis igitur es, Christiane: *Observa diligenter ne incurras plagam lepræ*, inquit Moyses, Deut. XXIV. lepræ inquam, quæ non tam corpus quam animam solet inquinare, ac demum beatorum cœtu separare atque in gehennam exterminare.

CONCIO IX.

QUAM CONGRUENTER ET SALUBRITER INSTITUTA SIT
CONFESSIO PECCATORUM.

Leprosorum expiatio, quinque de causis præcepta.

I. Convenienter instituta ratione Dei offensi: 1. Quia sic cultum Deo debitum exhibemus. 2. Quia sic Dei justitiam, nostram confitemur injustitiam. 3. Quia per eam Dei potentiam, nostram protestamur infirmitatem. — II. Ratione Christi: 1. Ut ejus innocentiam testemur. 2. Ut ejus gloriam magnificemus. 3. Ut dilectionem nostram ei comprobemus. 4. Ut adventanti in eucharistia viam paremus. — III. Ratione ipsius confitentis: 1. Ut haberet homo judicem sibi similem. 2. Ut haberet signum sensibile reconciliationis suæ. 3. Ut haberet fidelem amicum cui secreta sua credere posset. — IV. Ratione dilectorum: 1. Ut morbus animæ suo curetur antidoto. 2. Ut peccandi libidinem confessio frænaret. 3. Ut delicti pœna mitigetur. — V. Ratione proximi: 1. Ne scandalizetur. 2. Ut proximus ædificetur. 3. Ut nemo supra alium extollatur.

THEMA.

Ite, ostendite vos sacerdotibus. Luc. XVII.

Multi sunt, auditores, hæretici in primis, cœinde quidam catholici, quibus non parum displicet, quod remittantur ad sacerdotes pro remissione capiendi suorum peccatorum; siquidem videatur, sat superque esse, Deo confiteri et ab eodem absolvi: præsertim cum nos fateamur per actum contritionis justificari hominem etiam ante peccatorum confessionem. Ad quid igitur, inquiunt, necessaria confessio? Diluitur hæc objectio præclare in hodierno evangelio, in quo decem leprosus Christus mittit ad sacerdotes: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Ab quid hoc fecit Dominus? Annon potuit illos perse et solus mundare? Accedit, quod *dum irent, mundati sunt.* Si voluit eos mundare in via, ad quid mittit ad sacerdotes? Voluit ergo Dominus per hoc nobis delineare confessionis præceptum, ut quamvis ante illam sæpe deleantur hominis peccata, si videlicet prius elieverit actum contritionis, nihilominus sciamus adhuc nos obligari ut ostendamus nos sacerdoti per confessionem. Sed quare hoc voluit Christus? Resp. quare voluit Deus ut leprosi ostenderent se sacerdotibus. Lex Dei id præcepit, inquis. Dico similiter ego: Lex Christi hoc præcepit. Quare sufficeret homini christiano hoc solum scire, quod præceptum Christi sit nec curiose investigare, cur hoc præceptum sit, adeoque cum prosis istis simplici mente ire et se ostendere. Ne tamen querelis locus detur, ostendam in præ-senti, quam merito et quam convenienter ins-

tituta et præcepta nobis a Christo sit peccatorum confessio.

Expiatio illa solemniter leprosum veteris legis, Levit. IV. ob quinque causas videtur mihi a Deo præcepta et instituta. Primo, ratione Dei, ut ei gloriam darent, et cultum debitum, pro curatione ideo jubetur leprosus offerre sacrificium. Secundo, ratione Christi, per cujus sanguinem omnes homines, secundum animam leprosi, redimendi erant, ideo duos passeres offerre debebat, eorum unum occidere, alterum dimittere: ille humanitatem in cruce mortuam, hic divinitatem Christi immortalem significabat. Tertio, ratione sui ipsius, ut mundatus in posterum secure et libere inter homines conversari posset, sine contumelia et probro. Quarto, ratione lepræ ipsius, quæ cum sit morbus ab hominum communione et contagione removendus, hoc pacto expiari et purificari per sacerdotis contactum debuit. Quinto, ratione hominum aliorum seu proximi, ut nullus dubitare aut diffidere posset de ejus curatione. Totidem causæ sunt, vel saltem congruentiæ, cur confessio instituta sit.

I. Convenientissime instituta est confessio ratione Dei offensi.

Quia per eam debitum Deo cultum exhibemus, non aliter ac per sacrificia et oblationes. Non erant aliter Deo grata veteris legis sacrificia victimæ pecudum et similia, nisi quia ad honorem Dei destinata et internis virtutum actibus conjuncta erant. Ab his enim si abstraxerimus, statim audies dicentem, Isa. I. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Plenus sum, etc.* Accepta igitur ei solum erant, quatenus protestatio aliqua divini cultus erant, a subjectis et humilibus facta. Atqui confessio sacramentalis expressissima est divini cultus protestatio, dum homo se in illa Deo subjicit et humiliat, ipsi honorem, sibi nihil, imo ignominiam attribuendo et confusionem, juxta id Dan. IX. *Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei.* Propterea David, Psal. L. ait: *Utique holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, etc.* q. d. istud erit olim gratum tibi sacrificium, quod corpore et spiritu majestatem tuam testabitur: id quod confessio facit multo expressius, quam sacrificia veteris legis, siquidem hæc in se spectata indifferentia erant, illa vero conceptis verbis Dei cultum spectat. Quo aspexisse videtur Oseas, c. XIV. dicens: *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Vitulus labiorum est confessio peccatorum, qua Deo quidem gloriam, nobis autem velut peccatoribus damus confusionem.